DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOX. MEDICORUM PATRONO.

THESES EX UNIVERSA MEDICINA PUBLICIS AGITANDÆ DISPUTATIONIBUS IN SCHOLIS MEDICORUM ACADEMIÆ CADOMENSIS PRO DOCTORATUS GRADU CONSEQUENDO.

M. JOANNE FRANCISCO DE LA DUCQUERIE, Professore Regio, Præside. 51

EX PHYSIOLOGIA.

MEDICINA nomen suum à medendo sortita est. Suam immediatè ducit originem à cœlo juxtà illud *Ecclesiast.* Cap. 28. *Medicinam de cœlo creavit altissimus, & sapiens non abhorrebit ab eâ.* Existentia ipsius, utilitas, necessitas, nobilitas, jam satis innotescunt, multiplici etiam probantur ratione. Pro subjecto habet Hominem. Breviter, sed perperam ab Hipp. definitur *adjectio deficientium, & detractio redundantium.* Non accuratiùs à Gal. *scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum.* Vis legitimam Medicinæ definitionem proponere? appelletur Scientia Practica, & Ars, circà totum Hominem, quatenùs sanabilem occupata. Quinque vulgò partes complectitur. Omnium prima Physiologia est, quæ naturalem benè valentis perscrutatur œconomiam. Neglectis *Epicureorum* atomis, *Cartesii* materiâ triplici, sulphuribus, salibus *Archei*, similisve farinæ Chymistarum caducis elementis, primæ corporis humani partes, & simplicissimæ sunt fibra, & humor. A variâ partium solidarum structurâ, dispositione, texturâ, variâque humorum indole, agitatione ἐνεργείᾳ variæ pendent corporis habitudines, & temperamenta. De functionum enodatione, ac præsertim alimentorum digestionis non parùm curant Medici. An à liquidis mediante fermentatione peragatur, quorumdam est assertum? an partim à solidis, partim à fluidis, aliorum problema? an repetenda sit ab unico tritu, apud nos demonstratio. Qui subit oscula lacteorum vasorum chylus, malè habetur soliùs cibi, & potûs soboles. Vasorum millenis anfractibus, & mœandris mixtus, divisus, elaboratus perpetuò, lentè, parcè simul, successivè dilutus, recreatus, perfectus, *subclaviæ* sinistriæ guttatim, partitisque vicibus committitur, sensimque facto per *cavam* ad cor itinere rubescit. Nobilissimus liquor sanguis, licet ubique similis videatur, duplici tamen constat partium specie, albâ nimitùm sibi propriâ, & rubrâ. Hæc globosa est, actuosa, summè mobilis; illa verò partim fibrosa, partim aquosa. An partes aëris inspirati graves, & elasticæ misceantur sanguini, ut subtili, nitroso liquore in pulmonibus admixto purpurascat, aut pro vitali continuandâ oscillatione? sic juxtà scholas. Verùm id nequit fieri in atteriis, nec ullo argumento constat in venis. Ad secretionum & secretorum varietatem explicandam quid opus est fingere poros certâ, variâ, immutabili figurâ præditos? longè minùs licet precariò advocare ad id genus negotii fermenta ulla, humoremve analogum & congenerem. Stet pro causâ unicus solidorum tritus. Menstrua mulierum purgatio plethoræ tantùm adscribenda. Generationis opus latet in profundo: ænigma qui solvet, nobis erit *Æsculapius* altet. Sedem animæ rationalis in corpore quisquis assignare satagit, vanus est & infelix Ardelio. Nervorum ope, quod inter utrumque viget ab initio, perennatur commercium, mediante tamen liquido nervoso, cujus secretione, & influxu nativus eorumdem elater servatur incolumis. Spirituum animalium existentiam negando, si novitati, non minùs certè veritati studemus. Motus vel est naturalis vel spontaneus: à musculis proficiscitur, qualiscunque sit. Fibrarum muscularium contractionis causam efficientem homini *Physico* mirari, nosse soli competit *Creatori.*

EX PATHOLOGIA.

PATHOLOGIA tota occupatur in indagandâ corporis humani viventis malâ dispositione. Objecta hujus partis vocantur res præter, aut contrà naturam, quarum à veteribus tripartita habetur divisio, in morbos videlicet, eorum causas, & symptomata. Status neuter, in quo nimirùm, nec perfectè sanus est, nec tamen ægrotat homo, propriè nullus est. Solidorum cum fluidis mutuus consensus, æquabilis reciprocatio apta omnibus actionibus perfectè exercendis constituit sanitatem, ἀδυναμία morbum. Hunc porrò evenire plures ob causas animadvertimus: perutilis ergò inter morbos, nec inepta distinctio in similares, organicos, & communes, siquidem hæ sunt primariæ morborum differentiæ ex ipsâ eorum naturâ petitæ. Usus verò obtinuit inter Medicos, ut præterea distinxerint morbos ex quibusdam accidentibus externis, ratione v. g. causæ, subjecti, temporis, eventûs, vel effectuum, &c. Inprimis ratione causæ. Felix qui potuit morborum causas cognoscere. Facilior evadit curatio nodis *Æthiologiæ* expeditis, cujus ignarus quilibet, iisdem curandis non sese accingat. Hinc inquisitu utilissima, & apprimè necessaria. Causa morbi vocatur id quod morbum præsentem facit. Proxima est, seu continens, vel remota, seu prædisponens. Hæc plerùmque à pravo rerum non naturalium usu exorta corpus itá mutat, ut aptum sit suscipere morbum, si πρόφασις accedens eam excitet. Alteriùs præsentia ponit, & continuat morbum, absentia eumdem tollit: latet in depravato solidorum tritu. Liquores quoque in multis peccare non rarò contingit; at hæc eorum vitia, quot quot sunt, tritûs ettamis, aut succos præposterè subigentis, fœtus, partúsve infelices haberi debent. Hi fluidorum morbi omnes ad copiam, vel qualitatem læsam simul, aut seorsim revocari facilè possunt. Quæ morbum, ut causam, in corpore ægroto consequuntur, effectus morbi, seu symptomata dici solent. Hæc numero, varietate multùm discrepant inter se; satis tamen commodè, ex placitis veterum, revocantur ad actiones læsas, retentorum, & excretorum vitia, & qualitates corporis mutatas.

EX SEMEIOTICE.

SEMEIOTICE, rectiùs *Semiologia*, signorum differentias, & vires expendit, quibus demonstrantur præsentia, natura, status, eventus tàm sanitatis, quàm morbi, & mortis. Signa verò illa, quandò denunciant præsentem corporis conditionem, *Diagnostica*; si prænunciant ea, quæ in homine futura sunt, tunc *Prognostica* appellantur; ubi tandem prægressa in cognitionem revocant, *Anamnestica*, sive rememorativa dicuntur. Cæteris præstat in morbo designando *Pathognomonicum*, quod proprium est affectui, & ab eo vix separabile, utpotè ex naturâ ipsius ortum. Frequenter & constat aggregato plurium aliorum seorsim concurrentium. Neglectis in praxi ἐπιγενόμενοις summa exurgunt nocumenta: notant quippe mutationem, variatasque conditiones morbi; non aliundè cruditas, coctio, crisis, adamussim cognoscuntur. Materia morbi iis prædita dotibus, ut faciat, vel augeat morbum, appellatur cruda. Si verò per actionum vim superiorem, vel per medicamenta apta sic mutata est, quoad molem, figuram, cohæsionem, mobilitatem, inertiam, ut minùs recedat à statu salubri, minùs lædat, adeóque impetum morbi imminuat, cocta jam dicitur. Coctio tunc temporis semper bona; quò citior, & perfectior, eò melior censetur. In acutis, ut plurimùm, certo tempore subita fit mutatio morbi ad sanitatem, vel ad mortem, quæ permutatio *crisis* appellatur. Optima, quæ coctione prægressâ, die critico, cùm bonâ excretione peragitur. Secùs contingit ex contrariis. In arte signorum multùm valet notitia functionis vitalis; Hæc autem maximè æstimatur pulsu, & respiratione. Innumera discrimina, quibus arteriæ micantis pulsum distinxit *Galenus*, è cerebro nata, tactu percipi non posse credimus. Fortis, magnus, æqualis, tardusque simul omnium optimus. Fortis, & magnus, fortis, & tardus, magnus, & tardus simul, boni sunt. Debilis, parvus, durus, inæqualis, intermittens, frequens simul, clamat effœtas naturæ vires, mortemque propinquam. Respitationem mirè turbari, & variè immutari constat in diversis hominibus, pro nativâ scilicet constitutione, formatione variâ Thoracis, pulmonum, &c. pro diversis etiam affectibus animi. Magna, & rara denunciat cerebrum obstructum, atque morbos indè factos, futurosve, ut sunt *Coma*, *Lethargus*, *deliria*, &c. Difficilis, dolens, parva, celer, anhelosa, inæqualis, suffocativa, sublimis, exercita omni molimine musculorum costis adnatorum, indubitatò letalis; & eò quidem pejor, quò plures ejusmodi notæ concurrunt simul, & contrà. Urinæ conspectus *Diagnosi*, & *Prognosi* multum affundit lucis, copiâ scilicet, colore, odore, sapore, fluiditate, & contentis illi inhærentibus accuratè consideratis. Huic tamen ne credas nimiùm, si cætera non consentiant. Ex solâ urinarum inspectione, qui remedia decernunt, de corio ludunt humano, plures demetunt, quàm mors ferro, & igne.

EX HYGIEINE.

HIGIEINE Græcis idem sonat, ac rectè valere. Pro objecto habet res non naturales, sic dictas inprimis, quia usu, vel abusu, bonæ, naturales, aut malæ contra naturales fieri solent. Sex ab omnibus Medicis numerantur, inter quas primum non immeritò locum habet aër. Alimentorum minor est, quàm ejus necessitas homini jam in lucem edito. Triplici modo nos afficit, inspiratione scilicet, contactu, & deglutitione, cujus solius interventu corporis interiora subire, & cum sanguine permisceri potest. Aëris effectus varii; favet, nocetve pro qualitatum temperie, vel intemperie, pro dotibus, & efficaciâ admixtorum. Qui serenus est, gravis, temperatè calidus, & siccus, ab effluviis pravis liber, leni agitatus vento maximè præstat sanitati tuendæ. Ad mensam non accedas, nisi suadeat appetitus. Alimentorum repletio cuilibet est noxia. Suis quoque non caret incommodis inedia; imò peccata in excessu, quàm in defectu leviora sunt, teste divinâ Coï doctrinâ *Aph. 5. Sect. 2.* tutior sobrietas, quæ virtutum, & sanitatis parens. Copia cuique optima est, quam sequitur sensus refectionis, non torporis. Quanta pernicies gulosis imminet ex imperito illo, & damnoso axiomate, illa nimirùm salubtiora esse alimenta, quæ saporem habent jucundiorem! peritus coquus, peritus est sæpè veneficus. Simpliciores cibi, facilis digestionis, & parùm feculenti cæteris anteponantur. A vero non alienum credimus, varium cibi genus homini sano convenire. An caro animalium piscibus sit salubrior? variis consule speciebus, specta consuetudinem. Cibi potu diluendi, non submergendi. Aqua, modò sit limpida, levissima, inodora, cursu exercita potus est omnium homini robusto saluberrimus. Sua nostram Pomonam manet gloria. Colant illam macilenti, Melancholici, Scorbutici, neque parva cultûs erit merces. Suavia *Burgundiæ*, *Campaniæ*, *&c.* pocula blandiuntur oculis, nares titillant avidas, cæteris palmam præripiunt jucundo sapore, at dolosis ne crede lenociniis, fallaces metue delicias. Cui sua valetudo cordi est, à pastu fugiat *Caffe*, & *Chocolatæ* potum. Præcipua est sanitatis tutela exercitatio, modò pro variâ ætatis, indolis, & sexûs ratione temperetur, huicque accedat temporum opportunitas, nec non & congrua ipsiusmet exercitii mensura. Juvat moderata quies certis legibus habita, nocet desidiosa. Mutua sit somni, ac vigiliæ successio oportet. Utriusque quanquam maxima sit ad vitam necessitas, immoderatio tamen plena est periculi. Somni tempus sit, quandò corpus sanum torpet. Optima ejus mensura, agilitas corpori, dum evigilat, nata. Ex retentis, quæ debent excerni, torpor oritur, vel circulationis perversio. Animi affectus non sunt omninò supprimendi, sed neque excitandi nimis. Spes, & desideria corpori saluberrima deprehensa sunt.

EX THERAPEUTICE.

THERAPEUTICE pars institutionum Medicarum princeps, tradit præcepta, quorum applicatione morbi tolluntur, salus restituitur. Ut morborum infinita cohors, sic remediorum seges immensa. Pharmacum, quodcunque sit, nunquam præscribas, nisi priùs ab indicante dictatum. Deindè autem attendas per quæ, quâ dosi, lege, quo tempore, ordine, &c. Plurima sunt à quibus indicatio petenda. Quidquid in ægro deprehenditur contrà naturam, id ablationem sui postulat. Impar si fuerit indicatio, urgentiori tunc satisfaciendum. Vires, & propriam cujusque temperiem sedulò meditare, ex veneraudi senis monito. *Nisi enim*, inquit lib. 1. de vict. rat. *quis noverit, qualis à principio fuerit constitutio, in corpore primas tenens, quæ homini conducant, proferre par non erit.* Natura gaudet consuetis, ægrè fert insolita. Juvantium, & nocentium maximè habenda ratio. His facillimè intellecta percelebris doctrina indicantis, contra indicantis, repugnantis, permittentis, coindicantis, correpugnantis, ferè tota continetur. Optimum & frequentioris usûs in praxi Medicâ remedium, venæ sectio. A doctis pariter & indoctis, Tonsoribus, Medicastris celebratur; at quàm diversâ sorte! an, & quomodo revellat, difficillimum non est explicare. Id auxilii genus primariò quidem indicant dolor ubique in corpore, tumor, rubor, æstus, anxietas. Itá-ne plectuntur, infans, senex, gravida mulier, fœtus ipse? Phlebotomiâ quoque sanari amant. Varia sunt Catharcticorum genera, quæ indiscriminatim nefas sit assumere. Alia non priùs agunt, quàm vasa sanguifera subeant, & cum sanguinis massâ permisceantur. Alia solùm irritando fibras intestinorum musculares, quarum vividiori oscillatione compressæ fortiùs, ac frequentiùs glandulæ majorem in intestina humorum copiam eructant. Omnium quidem delectus, dosis, formula, opportunitas, indicantur ab ætate, sexu, temperie, anni tempestate, ideâ morbi; inprimis verò ex indole materiæ educendæ. Emetica statim, & efficassimè non solùm ventriculi contenta, sed vicinas etiam partes expurgant. Ea tamen, si non fugiant, cautè admodùm propinent *Asthmatici*, *Plethorici*, *Phthisici*, *diathesi hæmoptoïcâ*, *scirrho laborantes*, *calculosi.* Ad vomitum efficiendum concurrunt musculorum abdominis, & Diaphragmatis reciprocæ contractiones. Nullum proindè promptius remedium (*Paracenthesi* exceptâ) in *Ascitæ* sanabili. Quæ fugerat *fermentationis* systema, revelat doctrina *solidorum*, minùs videlicet in castigandâ fluidorum indole, quàm in corrigendis vasorum motibus positam esse legitimam medendi Normam.

Has suas Theses proponebat LUDOVICUS DUBOIS, *Abrincensis, Licentiatus Medicus, die Mercurii 9. Octobris A. R. S. H. M. DCCXXVI. à septimâ matutinâ ad meridiem.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, solum Regis & Universitatis Typographum.